



Q. D. B. V.

DE

ULCERIBUS  
FISTULOSIS,

*Consensu gratiosi ordinis Medicorum*  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

Et

SUB PRÆSIDIO

*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,  
ac Experientissimi,*

DN. CHRISTIANI VATERI,  
Philos. & Med. Doct. Ejusdemque Pro-  
fess. Publ. longe Celeberrimi, nec non Physici  
Provincialis summe meriti,

*Domini Patroni & Præceptoris  
æternum devenerandi.*

ADD. JANUAR. MDCC.

*In Auditorio Medico*

Horis vetis

differet

A. & R.

BERNHARDUS SCHIEFORDEGHERUS,

Vratislavia Silesus.

---

VITEMBERGÆ,

Literis GODERITSCHIANIS



*Maxime Venerando Domino*  
*PARENTI* meo  
DOMINO  
**BERNHARDO**  
**SCHIEFORDEGHERO,**  
S. Cæs. Maj. Aulæ Chirurgo & Practico  
in Patria dudum meritisimo.

*Theses hasce Chirurgico-Medicas*  
*In gratisimi & observantissimi animi signum*  
*& loco strenæ*

filiali observantia offert

Filius obsequentissimus  
**BERNHARDUS SCHIEFORDEGHERUS.**





I qui morbi reperiantur, in quibus præ cæteris Medici ars & solertia elucescit, Ulcera maxime sunt, in quibus nec tempus, neque fortuna; sed sola Medici peritia & solertia requiruntur: Ut adeo mirum videatur, quare horum & ejusmodi aliorum morborum curæ hodie a Medicis negligantur, & solis communiter Chirurgis, aut quod magis detestandum, imperitis balneatoribus & agyrtis relinquantur, quibus tamen vix totius artis Medicæ peritiâ instructi sæpe sufficere possunt. Patet hoc ex infelicissimis & tragicis ulcerum, imprimis fistulosorum eventibus, quorum alias curæ ab omnibus seculis difficillimæ, & tantum non impossibiles habitæ, indeque teste *Foresto L.VII. Obs. Chirurg. IV.* & *Cauliaco Chirurg. Magn. Tr. IV.* ad Divos relatæ; quod horum ope maxime indigeant. Quoniam vero ab ineunte ætate iisdem curis, à Venerando Parente meo haut infeliciter, per Dei gratiam, administratis, interfui, & Medicus

A 2

alias



alias, qvi Chirurgiam ignorat, proprii nominis insci-  
tiam, effato *Galenii in Meth. Med.* prodit, ideoqve  
placuit, Speciminis academici loco, jam *ulcerum*,  
imprimis fistulosorum, naturam & curam metho-  
dicam & rationalem, pro ingenii modulo, disquire-  
re, qvod ut feliciter, & in langventium solatium eve-  
niat, supremum Medicum devotissime exoro pre-  
cibus.

Thef. I.



Ici vix potest, qvanta sæpe sit salium in  
corpore humano, etiamsi sero permisto-  
rum & dilutorum, malignitas & effica-  
cia, ut neqve exquisitissimis blandimen-  
tis & alterantibus, ubi semel furere  
cœperunt, compesci se patiantur. Solvunt enim & de-  
struunt non solum omnem humorum contextum natu-  
ralem, sed eo qvoqve diruto insolidas fibras, membra-  
nas, carnes, imo ossa durissima debachantur, cujus  
exemplum manifestissimum & qvotidie obvium præ-  
bent ulcera, secundum Græcorum idioma *ἔλκοι* deno-  
minata, qvæ nihil aliud *sunt*, qvam *solutiones, hiatus vel si-  
nus præternaturales in partibus solidis, a salibus humorum  
acribus erodentibus, secantibus, & lacerantibus oriunda.*

Thef. II.

Dicuntur merito Ulcera æqve ac Vulnera solutio-  
nes & hiatus partium solidarum præternaturales, sed  
cum erosione & consumptione substantiæ, eaque ab  
humoribus, vel salibus in iisdem contentis acribus in-  
ducta,



ducta. Quando nimirum succi ejusmodi alias continuo circulo per tubulos & canaliculos corporis tenerrimos, & mirifice inter se contextos euntes, sed a causa quacunq; & injuria in motu isto impediti, nihilo secius vi impulsus, a tergo sequentis, eo magis tubulos & fibrillas replent, distendunt & mediantibus salinis spiculis, velut gladiolis tam diu pungunt, secant & lacerant, donec istæ ab invicem secedant, & ad principia sua contrahantur, crispentur, humores vero, exitu sibi parato, extra vascula sua in interstitia & hiatus decumbentes & restitantes, ulterius latera vicina distendendo & erodendo foveas & sinus, plus minus profundos, majores minoresve inducunt: Quæ ratione omnino a vulneribus, rupturis, fracturis, aliisque solutionibus, etiam cum deperditione substantiæ factis, discrepant & facillime discernuntur.

### Thef. III.

Prout vero humorum & salium in iis morbificantium nimia reperitur varietas & miscela indefinita, ac quoque partium, ubi tyrannidem suam excercunt varia conditio, textura & connexio, aliæque circumstantiæ accedunt, ita non minus erosiones istæ & ulcera miris modis inter se variant, ut modo minora, modo majora, profunda, sinuata, recta, vel flexuosa, simplicia & multiplicia, benigna & maligna, virulenta, saniosa, vel ichorescentia, sordida, foetida, sensibilibus depascentia & phagedæna, cancrosa, verminosa, aliaque toto die occurrant, quorum tamen omnium causas naturas & curas disquirere instituti mei jam non est. profundorum solum, & inspecie fistulosorum, præ cæteris omnibus peri-

A 3

culo-



culosissimorum curatuque difficillimorum, rationem habiturus.

Thef. IV.

Hæc enim sunt hiatus & sinus præternaturales profundi & canalis, vel arundinis instar oblongi non solum, sed interiorius callosi continuo ichorescentes, seu saniem plus minus foetidam, albescentem, flavescentem, livescentem stillantes, ab ejusmodi humoribus acris erodentibus in partibus mollioribus membranosis, musculosis, & glandulosis excitati & generati, quos Græci Medici *σπηγγας* & *τὸ λάσκει καὶ κοιλώδεις*; Germani vero fistulite Schaden / Röhre und Hohl-Geschwür appellant.

Thef. V.

Quibus ita observatis etiam Diagnosis Fistularum quarumcunque cuius erit facilis; ubicunque enim ulcus sinuosum & profundum diutius inveteratum foramine licet extrinsecus angustiori, minusque dolorosum, saniosam, serosamve materiam continuo plorat, membro præcipue affecto secundum longitudinem, aut profunditatem compresso, & stylos vel specilla exploratoria profundius admittit; durities quoque & callositas mediantibus iisdem deprehenditur, de Fistula præsentem & perfectam nullum amplius dubium est, ubicunque etiam reperiatur. Eoque ipso simul patescit, an callositas jam profundius totam cavitatem obducatur, vel in Orificio solum hæreat: quousque porro sinus descendat, an simplex vel multiplex, rectus, vel tortuosus & anfractus sit; præcipue si tum specillum cereum, plumbeum vel simile, secundum ductum anfractuum flectendum, adhibetur, & loci affecti conditio, materiæ, effluentis  
qua-



qualitas, aliæque circumstantiæ probe considerantur. Ita certe, si sinus ejusmodi, ad sensum sæpius minus profundi, & exigui, nihilominus majorem, quam capere alias poterat, Saniei quantitatem fundit, plures adhuc alios cuniculos & anfractus illum intimius fovere merito & infallibiliter concludimus. Idem colligitur, quando liquores injecti altius penetrant, diversa loca elevant, aut per diversa foramina erumpunt. Sic ubi fistula nervos & tendines attingit, dolor exquisitior in exploratione potissimum percipitur, & serum magis oleosum stillat; quemadmodum a læsis simul vasis sanguiferis sanguis quoque cum pure permixtus exit, & ossa simul affecta, vel cariota judicamus ex duritie & asperitate, quam stylis immixtis deprehendimus.

#### Thef. VI.

Atque hæc etiam in cognitionem fistularum particularium nos ducunt, modo speciales quædam in singulis circumstantiæ observentur. Nam fistula lacrymalis in oculi cantho interiore ostendit carunculam rubicundam perpetuo madefcentem, & a compressione saniem ferosam fundentem: Sic Maxillaris inter masticandum maxime ichorem fundit; ubi tamen cavendum, ne ex ductus salivalis in ore læsione, indeque salivæ eruptione statim fistula judicetur, quale exemplum a *Magnif. Præside* observatum novi: Cujusmodi errorem gravissimum commissum quoque meminit *Marchett. Obs. Chir. 60. Obs. de Chirurgo*, qui meatum urinarium in sinu muliebri pro fistuloso ulcere temere habuit. Ita Fistulæ in Cavitatem thoracis penetrantes præter explorationem cum specillis cognoscuntur ex aëris inter respirandum egressu; Fistulæ vero ani in intestinum rectum penetrantes



trantes præter saniei fætidiſſimæ ſtillicidium, ſtylos & li-  
quores injectos per inteſtinum transmittunt; Et ſic de  
cæteris, pro ratione & conditione locorum affectorum,  
judicandum.

### Theſ. VII.

Ulcera enim talia in omnibus fere partibus corpo-  
ris generari poſſunt, imprimis quidem glanduloſis,  
muſculoſis & tendinoſis, ubicunqve vaſorum ſangvife-  
rorum, & lymphaticorum concursus & contextus fre-  
quentior datur, indeqve humorum transitus & decubi-  
tus eo largior. Hinc obviæ ubivis ſunt Fiſtulæ oculorum,  
maxillarum & genarum, mammarum, thoracis, ingvi-  
num, ani, crurum &c. De quibus legimerentur *Hippo-  
crat. de Fiſtulis, Paræus Op. Chirur. Fabric. ab Aquapend. Chi-  
rurg. Scult. Armam. Chirurg. Fabr. Hildan. Obſ. Chirurg. M.  
A. Severin. Pyrotechn. Fœreſt. Schenck, Borellus, Horſtius, Bo-  
net. Med. Sept. & alii.* Fiſtulam quoqve in auribus no-  
tarunt *Foreſt. l. 12. Obſ. 8. & Hildan. c. 5. Obſ. 80.* in naſo *idem  
Foreſt. l. 13. Obſ. 5.* Lingvæ *Bonet. Med. Sept. P. 11.* In collo  
inter aſperæ arteriæ annulos penetrantes *Scult. Append.  
Armam. Chirurg. obſ. 19. Marchett. obſ. Chirurg. 37.* Sic tho-  
racis fiſtulam cum ipſius cordis eroſione & perforatione;  
aliam in umbilico ipſo ad inteſtina uſqve, & aliam in  
ingvine ad veſicam penetrantem *Marchett. l. c. In Pene &  
utevoro rursus Foreſtus l. c. Roder. a Fonſec. Conſult. Med.* In  
dorſo a ſcapula ad lumbos uſqve pertingentes & in oſſe  
humeri *Burnett. Theſauro Pract. Bonet. l. c. & aliis pluribus  
locis, quas ſingulas hic commemorare nihil attinet, &  
quoniam breves eſſe placet, potius in ulcerum ejus-  
modi origineſ incrementa & vires jam inquirere  
juvat.*

### Th. VIII.



### Thef. VIII.

Culpam vero omnem in humores, vel potius Salia acria corrosiva, humoribus soluta & diluta, rejecimus antea; Cum enim universum corpus humanum, imprimis quoad partes glandulosas, musculosas, & viscera ipsa, non nisi ex meris fibris, tubulis & vesiculis tenerrimis contextum esse constet, inque fibrulis & tubulis istis, mirifice contextis & implicatis, vitales succos continuo impetu & tractu circulari necesse sit, fieri facile potest, quod, uti antea de ulceribus in genere jam monuimus, succi isti, sui ipsius, aut etiam tubulorum & vasculorum culpa, in motu suo turbati, impediti, & tamen continuo impulsivi, tubulos suos plus justo distendant, indeque extremitates & oscula eorum aperiant, aut, quod precipuum, particulis suis salinis, in mora etiam acrioribus factis, veluti aciculis & gladiolis discendant & disrumpant, ex quo deinde extra circulum positi, & in cavitates elapsi, motu suo intestino peregrino majorem in dies acrimoniam & putredinem contrahunt, quibus partium, in quibus nidulantur, fibras & tunicas magis magisque exedunt, dissolvunt, & sic ampliorem semper cavitationem sibi parant.

### Thef. IX.

Ita quidem est, quod salia corporis nostri, alias heterogenea, volatilia & fixa, acida & alcalica, quamdiu sub dominio humorum, imprimis serosarum gelatinosarumque partium, continentur & occultantur, nullam vasculis suis, licet tenerrimis, vim inferant, quin potius motu intestino & blando reliquis omnibus motio-

B

nibus



nibus & functionibus, vitalibus animalibusque, oppido  
inserviant; Ast quantitate & qualitate nimium aucta, vel  
plane extra limites & circulum suum elapsa, vi impel-  
lentis ætheris permisti, & transeuntis, eo fortius inter se  
agunt, se invicem atterunt, attenuant, & invertunt, do-  
nec partes subtiliores & blandiores absumentur, de-  
struuntur, crassiores vero fixiores & acriores relin-  
quuntur, quæ sui juris adeo factæ, æque ac in succis vi-  
nois, aliisque dulcissimis alias, sed per fermentationem  
excessivam destructis, fieri solet, acrimoniam suam ro-  
dentem & causticam eo magis exerunt.

Thef. X.

Atque hæc ratio est, quare acrimoniam quidem  
mixtam, maxime tamen acidam, uti in aliis ulceribus, ita  
potissimum fistulosis, excedere judicamus: Etsi enim  
alcalica, æque ac acida, volatilia ac fixa, & ex his mixta,  
salia, toto die cum alimentis assumantur non solum, sed  
per varias quoque digestiones naturales & præternatu-  
rales, seu morbosas, de novo in corpore nostro gene-  
rentur; acida tamen acrimonia hic maxime peccare vi-  
detur, quoniam humores nostri vitales, æque ac alimen-  
ta ipsa, e quibus generantur, per corruptionem in suc-  
cos mucosos, viscidos & acidos potissimum degenerare  
solent, & præterea acidorum in erodendis & solvendis  
corporibus durioribus magna ubivis vis & efficacia  
observatur: Ideo in chimia non solum mineralia, ossa,  
cornua aliaque, acidis solvimus, sed in Therapia iisdem  
quoque partes corruptas a sanis separamus, fonticulos &  
ulcera alia artificialia excitamus &c. Ideo quoque Cache-  
xia scorbutica acida, & alimenta talia, humorum item  
visci-



viscidorum stases & corruptiones, vasorum obstructio-  
nes, tumores, inflammationes, & similia, ulcerum gene-  
rationi quam maxime favent; Hinc quoque recre-  
menta ulcerum, & in specie fistularum, foetorem tan-  
tum, qualis e cadaveribus & corruptis carnibus perci-  
pitur, imo manifestum acidum spirant; ut etiam metal-  
la e.g. plumbi laminas erodant: Tandem Medicamen-  
ta acida & falsa hic maxime nocere, contraria vero pro-  
desse observantur, & quæ plures aliæ circumstantiæ, in  
sequentibus multo clarius demonstrandæ, acrimoniam  
istam probare possunt.

### Thef. XI.

Proximus quidem injuriæ & læsiones manifestæ  
corporis, nempe tumores, vulnera, ulcera, ossium ca-  
ries, & similia, fistulis generandis occasionem præbent;  
Et quidem tumores his sinuosis Ulceribus fores ape-  
riunt, imo semper fere antecedunt, quoniam humores  
ibidem in circulo suo impediti, & quasi incarcerati, nec  
non ob motum intestinum vehementiorem aciores &  
fervidi redditi, minutissimos tandem tubulos intimius  
penetrant, extendunt, & dirumpunt. Eodem modo  
se res habet cum vulneribus, abscessibus & ulceribus  
quibuscunque, nec non ossium erosionibus, in quibus  
omnibus vascula jam lacerata, & humores egressi, actu  
putrescunt, & nisi rite expurgantur, vel abstergantur,  
necessario vicinas partes, licet sanas, exedunt, aperiunt,  
cuniculos & latibula profundiora sibi quærunt; quorum  
plurima exempla & curas in ædibus Venerandi Paren-  
tis mei vidi, & apud *Sennert. Prax. L. V, P. 2, c. 17. Horst. L. IV.*



*Obs. Bierling, C. 1. Advers. Ephemer. Germ. & alibi leguntur.*

### Thef. XII.

Sed tamen singulæ istæ læsiones nondum sinibus ejusmodi profundis, callofis, sordidissimis & foetidissimis, imo malignis, producendis sufficiunt, nisi quoque humorum temperatura intemperata, falsa, acida, scorbutica, accedit; In scorbuticis alias, & scabie, lepra, vel lue venerea, item variolis affectis; nec non hypochondriacis, lienosis & melancholicis, cacochymiam imprimis viscidam, acidam, aut falsam, omnes hæctenus Practici offendunt & curant; Ast vero hi præ cæteris omnibus ulceribus, pro majori, minorive cacochymiae quantitate, in ulceribus quoque plus minus profundis, phagedenis & malignis obnoxii observantur, de quibus *Exempla illustriora consignata habemus a Zacut. Lusitan. L. 3. Prax. Admir. Greg. Horst. l. 4. obs. Paracels. l. 3. Chirurg. M. de Fistulis. Marc. Aur. Sever. l. c. Eugalen. de Scorb. Marchett. l. c. Bonnet. Med. Septentr. & Sepulchret.*

### Thef. XIII.

Huc exinde conspirant plura alia, quæ generationem ulcerum ejusmodi excitant, aut solum promovent. Quoties enim ex eodem fundamento cacochymico, a suppressis mensibus, lochiis & hæmorrhoidibus fistulæ oriuntur, & toto die occurrunt, de quibus. *Hildan. C. 2. obs. Doleus Encyclopæd. Chirurg. & alii legi possunt.* Ita quantam mali exacerbationem alimenta omnia nimis salita, acida, fermentabilia, viscida, pingvia; aer item frigi-



frigidus, nebulosus, pluviosus & similia, faciant, omnes ægri ulceribus affecti, suo damno experiuntur, & quoque uno ore fatentur. Sic refert *Borrich. in Act. Haffn. Vol. 3. obs. 43.* Virum, cruris fistula laborantem, Madritum delegatum, per integrum triennium ab ea liberatum fuisse; redeunte vero eo Haffniam, ulcus quoque recruduisse, & per aliquot annos durasse; Eundem tamen, postquam iterum in Hispaniam abiisset, toto rursus sexennio ab eodem immunem fuisse, donec patriæ redditum, ulcus denuo apertum ad mortem usque committeretur. Pariter a motibus nimis, e. g. equitatione & saltu nimio, fistulas ani ortas notarunt *Claudinus obs. Med. 62. seq. & Plater. l. 2. obs.* Eoque fine jam tum *Hippocr. in Epidemicis* corpora calida & impura quiescere monuit, quoniam sub motionibus fortioribus humores, & salia in iis, nimium commoventur, in partes capaces impelluntur, & sic tumoribus, inflammationibus, tandem ulceribus fores aperiuntur. Quamvis etiam quies nimia hic nocere possit, quia humores ad motum circularem & intestinum inepti redduntur, ut in tubulis & porulis partium angustioribus subsistant, spissescant, acescant, & tandem extra pomeria sua erumpant: Pertinent huc quoque medicamenta acria, corrosiva, & imprimis ðialia, ulcera abstergendi, mundificandi, aut etiam intrinsecus salivam movendi gratia, ab incautis imprudenter adhibita, quibus quippe majorem humoribus labem affricant, majoresque affluxus eorum ad partem affectam concitant, uti *Magnif. Dn. Pres.* aliquoties observavit, & *Paræus oper. chirurg. l. 12. c. 9.* jam atro carbone notavit.

Thef. XIV.

Quod dispositio hæreditaria suum quoque Symbolum

B 3

lum





lum huc conferre possit, nullum nobis dubium est, quoniam labes scorbutica acris, tanquam fomes præcipuus omnium ulcerum, cum seminio parentum, & in specie quoque cum alimento materno, in liberos traducitur, unde *Sennert. l.c.* familias integras nosse se scribit, in quibus omnes fœminæ, etiamsi alias bene habere visæ, ulcera tamen diuturna in cruribus habuerint. Confirmant id Exempla insignia ap. *Zacut. Lusit. L. 1. Prax. Admir. Salmutb. C. 2. obs. Med. 30. seq. M. A. Severin. de Abscess. recondit. Tit. II.* & in specie Fistula ani jure hæreditario contracta ap. *Roderic. a Fonsæc. Tom. II. Consult. Med. 67.*

### Thef. XV.

Imo quod in cantamenta & veneficia hic interdum accedere possint, nemo negabit, qui Dæmonis quidem vires & potentiam a Deo limitatam, permissu tamen ipsius quoque magnam esse didicit, eaque confirmant satis excreta ulcerum prodigiosa, de quibus loquuntur *Historiæ Medicæ in Ephemerid. Germ. Decur. II. A. 1 seq. Dolæi Encyclop. Chirurg.* Id tamen observari velim, ne quævis statim rariora phænomena cum vulgo supernaturali principio, aut dæmoni ipsi tribuantur.

### Thef. XVI.

Sed ordinariorum in his ulceribus Symptomatum rationes adhuc reddendæ restant. Habent enim ab aliis ulceribus hoc peculiare, quod non solum profundius carnem exedant & absument, sed inter musculos, glandulas & tendines, canales oblongos, & quasi cuniculos sibi efforment; quoniam nimirum fibræ alibi firmiores,  
alibi



alibi teneriores, laxius, vel densius contextæ, majoribus, vel minoribus vasculis instructæ, reperiuntur, fit, quod humores corrupti, & ob moram sensim acriores facti, teneriores laxioresque partes citius erodant, dissolvant, indeque inter muscutorum glandularumque interstitia, alias laxiora, transitum sibi quærant. Secundum horum etiam ductum fistulæ omnes rectæ, & profundæ, oblongæ, simplices & flexuosæ, incedere observantur.

### Thef. XVII.

Ita in istis canalibus orificia & latera, non solum sordida & mucosa, sed etiam obdurata & quasi callosa, semper videmus, eo, quod fibræ carneæ, alias extensæ & inter se contextæ, nunc vero discerptæ, ad sua principia concidant & corrugentur: Accedunt deinde succi glutinosi acidi, imo ipse aer extrinsecus, liberius imprimis circa orificia incumbens, à quibus omnibus fibræ corrugatæ magis magisque constringuntur, & tantum non in cartilagineam duritiem, curationi adeo noxiam, convertuntur.

### Thef. XVIII.

Materiam, quam hæc ulcera continuo, & in larga sæpius quantitate eructant, quidem habent ab ipso succo nutritio, per vicinas partes a sanguine diffuso, ea tamen pro gradibus cachexiæ diversis, aliisque circumstantiis plus minus serosa, viscida, falsa, acida, foetida, æruginosa, sanguinea, cinerea, livida vel alba observatur, Ipsum alimentum partium chylosum, etiam si per se opti-



se optimum, tamen in loco corrupto & putrido eundem characterem recipit; sed multo magis, si totius massæ sanguineæ cacochymia scorbutica, vel venerea, tomitem insuper continuo suppeditat: Alias vero e partibus carnosis & laxioribus materia magis chylosa, albescens, e glandulosis & membranosis serosa, a ruptis vasculis sangviferis sangvinolenta, a nimis corruptis & gangrænosus partibus lutosa, spissa, cadaverosa, fluit & exprimitur.

Thef. XIX.

Atque adeo ex his omnibus, jam ingens quoque diversitas Ulcerum, in specie fistulosorum, quoque ultro apparet. Et quidem ratione figuræ patet, quod alia sint angustiora, vel ampliora, breviora, vel longiora, & profunda, recta, aut obliqua, s. flexuosa, eaque simplici, vel multiplici orificio & canali instructa. Neque ignorari potest, quando partes internas, vel externas nobiles, vel ignobiles, musculosas, glandulosas, quando articulos, tendines, nervos, vasa sangvifera, ossa, aut ipsa viscera interiora, occupant, vel attingunt. Quoad causas vero & complicationes cum aliis morbis, tot modis variant quoque fistulæ, quot causas proximiores continentes antea accusavimus; unde modo benignæ, vel malignæ, virulentæ, cancrasæ, cum scorbuto, lue venerea, hectica, corruptione viscerum, ossium, &c. conjunctæ oriuntur: Quæ singula, certe in prognosi & cura, curiosissime semper respicienda, nisi ægrum, & seipsum, felici eventu defraudari velit Medicus.

Th. XX.



## Thef. XX.

Quod igitur prognosin primum attinet, judicare omnino ex his omnibus licet, quænam ex ulceribus istis curatu facilia, difficilioraque aut incurabilia prorsus reputanda sunt: Alias quidem in universum omnia difficillime curantur, indeque olim, uti ab initio monuimus, pro incurabilibus habita; minus tamen difficultatis recentia, breviora, simplicia, in parte carnosâ, ignobiliori, nec non in corpore robusto, minus cacochymico, habere, quilibet facile intelligit. In his enim nulla symptomata graviora, nullus virium lapsus metuendus, & contra expedita medicina est, sive è pharmacia, sive chirurgia administratur, uti paulo post constabit. Ita quoque quæ callis & labiis mollioribus prædita, saniam adhuc albam, æqualem, minusque fætidam, effundunt, faciliorem præ cæteris curationem promittunt, cum causam minus malignam, neque adeo gravem partium corruptionem habeant.

## Thef. XXI.

At vero difficillime sanescunt, imo eripere etiam homini vitam possunt, quæ diutius inveterarunt, quæque profunde inhærescunt & multos sinus habent. Imprimis vero, & quam maxime periculosa sunt, quæ ad interiores cavitates penetrant, visceribus vasisque insignioribus vicina; Ibi enim eo longius serpunt, fibras & vasa laxiora erodunt, nec, quod præcipuum, remediorum decens & immediata applicatio conceditur. Hinc fistulas in pulmones, cor, hepar, ventriculum, vesicam aliaque viscera penetrantes, rarissime curatas legeris,

C

præter



præter eam in ventriculo curatam in *Ephemerid. Germ.*  
*D. I. A. 9. & 10.* Hinc quoque periculosa sunt circa mu-  
sculorum capita, ubi vasa ingredientia; & circa fines eo-  
rum, ubi tendines & ligamenta lædunt. Idem & majus  
periculum habent in ipsis articulis & juncturis artuum,  
ubi spacium longè lateque penetrandi inveniunt, vasa  
& tendines plures simul afficiunt, nec ob confluxum  
humorum motumque articulorum consolidari facile  
possunt: Nec cum carie ossium conjuncta, aut ab eo  
plane oriunda curationem unquam, nisi ista prius sub-  
lata, recipiunt. Quemadmodum in cachecticis, hecti-  
cis, scorbuticis, lue venerea affectis, senibus & similibus  
non curantur, quamdiu cachexia fomitem præbet; aut  
si occluduntur, mortem brevi subsequituram inducunt.  
De quibus exempla, si placet, ap. *Schenkium, Horstium, Vel-*  
*schium, Fabric. Hildanum & Ephem: German. Dec. I. A. 2. 4. 5.*  
*& Decur. III, A. 5. 6.* legi possunt.

Thef. XXII.

Ex his porro scire licet, quod ulcera quoque talia  
pro ratione cacochymiae aliarumque circumstantiarum,  
curam plus minus diuturnam, admittant. Imo repe-  
riuntur, quæ si vel maxime possent, curari tamen, nisi  
toto corpore prius curato, vix debent, eo, quod emun-  
ctorii naturalis vice fungantur, & succos vitiosos, quoti-  
die in cachecticis ejusmodi de novo oriundos, continuo  
quoque eructant, hinc ægros suos ab aliis gravioribus  
malis præservant, & diutius supervivere sinunt; cum è  
contrario intempestive occlusa sæpius, etiam in locis no-  
bilibus, recrudescant, eoque gravius lædant. Exem-  
pla innumera ap. *Fabricium Hildanum, ab Aquapendent,*  
*Scultetum, Paræum, id confirmant.* Thef.



Thef. XXIII.

Modos autem eventuum in his quod attinet, illi est subjectorum, causarum, graduum, morborum complicatorum, aliarumque circumstantiarum diversitate petendi, si quidem recentia, simplicia & in partibus carnosis, adhibita decenti cura, duritiem interiorem exterioremque sensim amittunt, saniam albam, æqualem minusque fætidam excernunt, eaque in quantitate paulatim remittit, donec fibris è fundo & lateribus rursus extensis, plane siccescunt & consolidantur: Secus autem ubi fit, exedentem sæpe gangrænam, sphacelum, tabem, febres, hæmorrhagias, dysenteriam, lipothymias, convulsiones, anxietates, contracturas, claudicationes aliaque innumera mala post se trahunt. Malum signum est, multam his ægris vigiliam esse, & spiritum difficilem, & sitim & cibi fastidium: docent enim hæc internam quoque humorum degenerationem, & totius œconomiae imminentem destructionem: Ex eodem fundamento animam, absque aliis causis manifestis, hic deficere, pessimum omnium est, & mortem brevi imminentem præfagit. Sic tumores, uti in aliis, ita imprimis his ulceribus subito & absque manifesta causa disparentes, cum excretionem prorsus nulla, aut fœculenta & fœtida, motum humorum circumstantium deficientem, adeoque perniciem certissimam portendunt. Confer. *Ephemer. Germ. A. 6, Marchett. l. c. Lomnius Medicinal. obs. L. II.*

Thef. XXIV.

Sed ad curationem jam potius properare placet ubi

C 2

bi



bi statim observo, non solum ulcera ista fistulosa Empyricorum more abstergenda, & consolidanda, sed imprimis & ante omnia universi corporis, omniumque viscerum & humorum discrasias sedulo respiciendas, & methodice curandas esse; idque quibus remediis, sive pharmaceuticis, sive chirurgicis & diæteticis obtineri possit, breviter jam videbo.

Thef. XXV.

Quoniam ergo, ulcera ejusmodi sinuosa & longe lateque serpentina communiter è cacochymia scrobutica acida, aut salsa originem ducere, aut ad minimum eidem complicari, ex antea dictis constat; primam quoque & præcipuam huic curam deberi nemo non videt. Eoque nomine omnino huc pertinent omnia antiscorbutica, intemperiem humorum viscidam, acidam falsamque efficaciter alterantia & invertentia. Inter quæ præcæteris laudanda Tinctura Antimon. Sulph. Tartari, Essentia & Extracta Lignorum Scorbutica alcalina *Magnif. Dn. Præsidis*, martis, viperarum; Decocta & infusa, è Lignis, Radicibus chinæ, sarsaparillæ, Bistortæ, caryophyllat. aristoloch. utriusque; Herb. Fumar. Veron. Agrimon. Heder.  $\nabla$ str. Vincæ per Vinc. Scord. Hyperic. Theæ, antimonio crudo &c. nec non pulveres & potiones absorbentes è coralliis, lap. cancror, conchis, succino, antim. diaphor. Cinnab. antim. & nativ. Croco martis, salibus fixis alcalicis aliisque: In quibus tamen adhuc selectus talis habendus, ut quæ huic vel illi subjecto, temperamento & ætati convenient, accurate dispiciatur; si quidem aliis volatilia magis, aliis fixa, vel mixta; salina vel sulphurea, diluentia potius, aut absorbentia



bentia & exsiccantia profunt, & prudenti solum usu eliguntur; Quemadmodum in eo quoque magna curæ felicitas sita, ut alterantia ejusmodi non parca nimis quantitate, sed tanta tamque continuata serie propinentur, quantum totius corporis cacochymia inveterata requirit, & coindicantia alia permittunt. Optimis enim & selectissimis remediis parum vel nihil proficit, nisi justam quantitatem, tempus & modum simul observaverit Medicus.

Thef. XXVI.

Eidem chachexiæ etiam debentur purgantia, nunc per vices interponenda, eaque rursus selectiora, quæ absque virium dejectione humores vitiosos blande eliminant; qualia sunt ex Rhabarbaro, foliis fennæ, Giapappa, mercurio dulci, Gummi ammoniaco, Aloe & similibus præparata.

Thef. XXVII.

Et Diaphoretica huc faciunt, humores viscosos, glutinosos efficaciter movendo, resolvendo, simulque impuritates, alias ad ulcera ista continuo affluxu decumbentes, per ambitum corporis universi eliminando. Idque præstant satis Antimoniata, antimon. diaphoretic. Bezoard. mineral. mercurius diaphoret. *Helmont.* Essent. viperarum, lignorum, spir. CC. succinatus, Bezoardicus & similia, quibus secundum ductum, & svasum indicantium crebrius, vel rarius adhibitis, sudor in lecto vel laconico, pro ut visum fuerit, prolicetur.



Thef. XXVIII.

Neque salivam moventia mercurialia hic penitus excludenda velim, præcipue in cacochymia venerea, & maligna; ut pote quæ longe generosius adhuc humores istos morbosos non solum fundunt & liquant, sed saliva peregrina simul, absorbent, involvunt & ad emuntoria glandulosa faucium aliarumque partium derivant: Modo autem respectus contraindicantium habeatur, ne corpori infirmo nimis, cachectico, hectico, aut visceribus corruptis jam afflicto, eaque rite præparata, in debita quantitate, modo & regimine adhibeantur. Sic quando solo usu fumi Tabaci diuturna ulcera, etiam neglectis omnibus externis, feliciter consolidata referuntur in *Ephem. Germ. D. 2. A. 3.* Id non solum lymphæ per sal volatile Tabaci correctioni, sed etiam largiori sputo tribuendum iudico.

Thef. XXIX.

Imo eodem evacuandi fine huc faciunt vesicatoria & fonticuli in vicinis partibus applicati. Etsi quidem ulceribus ejusmodi factitiis partes salutares & nutritivæ humorum æque ac morbosæ evacuentur, sufficit tamen hac ratione corpora nimis cacochymica, & quotidie novas impuritates generantia, parte earum quotidie liberari, si priora interna & universalia non sufficiunt. Quemadmodum naturam ipsam non raro ejusmodi ulcera in ægrorum solatium aperire experimur, & quotque ulcera diuturna & insanabilia alias, fonticulis excitatis, curata ap. *Scult. Anm. Chir. P. I. obs. 57. & in Ephemerid. G. A. 3. obs. 156. & 214. legimus.* Quibus etiam *Muys Prax.*



*Prax. chir. Dec. 1. obs. 2.* De usu fonticulorum eorundem-  
que operandi ratione addatur.

Thef. XXX.

Atque adeo his demum præmissis, aut ad mini-  
mum simul in auxilium vocatis, cum successu fieri pote-  
rit, ut callosa durities in his ulceribus penitus removea-  
tur, caries ossium, si qua subest, tollatur, aliaque sympto-  
mata coincidentia præcaveantur, vel mitigentur, tan-  
demque sinus ipsi carne repleantur & consolidentur.

Thef. XXXI.

Quoniam enim durities & callositas ista non nisi à  
fibrarum erosarum osculis corrugatis, contractis & con-  
densatis oritur, uti è superioribus constat, ideoque earum  
conjunctio & consolidatio nullo modo fieri potest, nisi  
oscula & extremitates istæ prius aperiantur, emollian-  
tur & extendantur, idque præstare imprimis possunt,  
omnia amara, acria & caustica vulgo dicta, ea tamen pro  
mali gravitate modo mitiora, fortiora vel fortissima;  
*Emittioribus* nobis probantur, succi & decocta Veronicæ,  
Agrimonix, Nicotianæ, Sabinæ, Consolidæ Saracen.  
Marrubii, Persicariæ, Chelidonii, Scordii, Centaurii  
min. Gentianæ, Bryoniæ, Calx lota & Aqua Calcis, pul-  
vis Hellebori alb. Sabinæ, Cinis tabaci, ficuum, Aloë,  
Myrrha, Alumn. ust. Et è *fortioribus* viride æris, Cro-  
cus metallorum, vitrum antimonii, mercurius sublima-  
tus corrosivus & dulc. it. præcipitatus, Lapis medica-  
mentosus *Crollii*, vel *Magnif. Dn. Præsidis*, Luna corrosiva,  
Salammoniacū, Butyrum antimonii super Crocum mar-  
tis



tis digestum, oleum arsenici, Unguentum Ægyptiacum, Basiliconis, Aqua viridis *Hartmanni*. E quibus omnibus pro indicantium svasu & cujusvis Practici prudentis lubitu lavamenta, injectiones, linimenta aliaque composita utilissima fieri facile possunt. Solum quidem Nicotianæ viridis succum cum pulvere ex uviarum terpentum fistulosis ulceribus injectum, nec non consolidæ saracenicæ decoctum mirifice commendat. *Ettmüller. in Schröder.* Sabinam in Vino decoctam & pro lotionne adhibitam extollit *Schmuck. in Thesuro secret. 6. Tagaultius l. 3.* de ulceribus parat aquã in tollendis callis summe proficuum c. mercurio sublimato & Ungv. Ægyptiac. Solum viride æris insigne Evporiston esse novi ab *Hypocr. de Fistulis.* jam laudatum, si pulverisatum cum injectionibus & linimentis miscetur, vel, quod melius, cum cera in turundam redigitur, intra fistulam ad fundum usque immittendam.

Thef. XXXII.

Verum circa applicationem horum adhuc studiose observandum, ne acria & imprimis Mercurialia, partibus nerveis vel ossibus denudatis promiscue, sed caute & parce adhibeantur, ne intimius, quam par est, agant, erodant & convulsiones, paralyses aliaque mala inducant. Ita si fistulæ in cavitatem quandam e.g. Thoracis, vel abdominis penetrent, cavendum, ne acria injiciantur penitus, sed solum mediantibus turundis applicentur. Pro cavitate vero abstergenda sufficiunt. Decocta mitiora, antea commendata, & cum melle rosarum, Ess, Myrrh. Aloës &c. mista: Alias quoque nimia angustia fistularum sæpius impedit horum applicationem

nem



nem sufficientem; Et tunc opus est, ut mediantibus turundis aptis decenter dilatentur, quæ in finem non immerito præferuntur turundæ ex emplastris, vel etiam svasu *Solingensè* pergameno factæ, & linimentis resolventibus delibutæ, ne forte fragmenta in profundis relinquunt, aliaque incommoda producant. Fieri tamen etiam possunt è Radice Gentianæ, Hellebori nigri, Aristolochiæ, Bryoniæ, Cera cum viridi æris, vel butyro antimoni mista. In fistulis thoracis & abdominis filo alligandæ eæ sunt, ne forte cavitatem intrent.

### Thef. XXXIII.

Quod si tamen hæc resolventia & abstergentia nondum sufficiunt, in fistulis nimium inveteratis, profundis & tortuosis, tunc etiam incisione opus est, ut fundus earum satis denudari, & remedia rite applicari queant: Sic fistula ani communiter non nisi sectione accedente curantur, & *P. d. Marchett.* nullam earum sub quinquaginta annorum præxeos suæ, sine incisione curatam se vidisse, fatetur. *Conf. Borell. c. 4. obs. 53.* Ea autem fit mediantibus suis propriis instrumentis syringotomis, præviis specillis, sed & cavendo, ne vasa insigniora, nervi, tendines aliæque partes insontes temere lædantur. Olim etiam apertio mediante filo, vel seta equina tentabatur, ab *Hippocr. de Fistulis jam memorata* & a *Celso l. 7. c. 8. plenius explicata.* quæ tamen hodie exolevit. Potius adustio mediante ferro ignito locum invenit, quando cauteria potentialia majorem affluxum humorum concitare videntur, uti in fistulis lacrymalibus sæpe observamus, de quo & cautelis ejus legantur *Aqua pendens, Vigerius, Scultetus & alii*; Igne actuali, partium universi corporis fi-

D

stulas.





stulas, quæ medicamenta omnia, etiam caustica eluse-  
rant curare docuit *Marcus Aurel. Severin. Pyrotechn. Chir. l. 2.*  
*P. 1. c. 86.*

Thef. XXXIV.

Sed præter callum, etiam ossium cariem conjun-  
ctam & latentem, curæ expectatæ obicem ponere antea  
vidimus, quo casu non minus omnes eo conatus dirigen-  
di, ut quantocyus ea removeatur, sive medicamento-  
rum, sive manuum opera: Dilatato nimirum sinu & fun-  
do, detecto ossi carioso applicantur balsamica, salina &  
sulphurea, spirituosâ, fordes inhærentes acres abster-  
gentia, resolventia vel absorbentia, & motum in poris  
legitimum restituentia e. g. oleum ligni gvajaci, caryo-  
phyll. aromat. bals. Sulphuris s. & mart. spirit. vini Cam-  
phorat. Theriacal. pulveres Euphorbii, Agarici, Myr-  
rhæ, Mastichis, Aloës: Et si his rebus non efficitur, ra-  
tio ejus ad rubedinem & sangvinolentiam usque acce-  
dat necesse est. Dentem cariosum sub fistula genæ laten-  
tem, totum eradicare præstat, & ramenta ossium, vel a-  
lia extranea instrumentis debitis eximuntur.

Thef. XXXV.

Adeoqve callo & carie è fistulis sublato, etiam alia  
symptomata, dolores, inflammationes, hæmorrhagiæ,  
præcaveri poterunt, remediis ipsis destinatis. Indeque  
nihil amplius reliquum est, quam ut sinus & cavitas car-  
ne repleatur & consolidetur decenter: Id quod fit, quan-  
do fibris jam apertis & emollitis novus succus nutritius  
balsamicus redditur, ut ulterius se extendere, oscula in-  
vicem



cem unire, implicare & circulum pristinum vitalem succorum continuare qveant. Talis autem succus balsamicus unice è sangvine ipso restitui debet, cum carnis regeneratio, seu potius fibrarum ipsius erosarum nova extensio & unio, solius naturæ opus sit, nec ulla medicina detur, quæ per se & immediate in carnem mutari possit: Quo fine etiam superius sangvinis scorbutici, acido acris & viscidi correctionem, & feri dulcis restitutionem, præ omnibus aliis, tantopere commendavimus. Tali sangvine dulci & balsamico præditis, ulcera sua sponte, & absque omnibus remediis sarcoticis sæpissime sanescunt & consolidantur; cum è contrario cachecticis, etiam si callis aliisque obstaculis remotis, imo vulnerariis optimis adhibitis, minus tamen consolidantur, aut vi consolidata recrudescunt.

### Thef. XXXVI.

Nihilo tamen secius natura omnino adjuvari etiam potest extrinsecis, quæ vel abstergendo & exsiccando, vel calorem & balsamum nutritium partis affectæ instaurando unionem & consolidationem fibrarum ruptarum adjuvant. Atque talia sunt præparata: è thure, mastiche, myrrha, aloë, asa fætida, gumm. galbani, elemi, camphor. sarcocolla, succino, tutia, lapid. calaminari, rad. aristoloch. rotundæ, iridis, saccharo & magisterio saturni, mercur. dulc. balsamo Peruviano, de Copaiba, de Chili, sulphuris s. l. antimon. Emplastro Saturnino, Diapalma, de Lapid. Calaminari, Minio, & similibus. De Balsam. Peruviani & Copaibæ mirifica, ad cicatricem inducendam, virtute legi meretur *Ettmüller. Comm. in Schröder.* Et Asa fætida, quantum in ulceribus inveteratis mundan-



dis consolidandis qve valeāt, docet *Wirfung. Op. Med. l. 5. c. 16.* *Arnoldus* se plus semel vidisse perhibet ac expertum esse, caneros, gangrænam ac fistulas ex spiritu vini infusionis roris marini sæpius collutas, fuisse exsiccatas, & qvæ alias omne medicamentorum subsidium eluserint, ad perfectam sanitatem pervenisse: Sacchari vero Magisterii & Balsami Saturni, nec non Mercurii dulcis vires vel solum hic sufficientes ex quotidiano usu *Dn. Parentis* novi, conferantur etiam *Job. Bapt. Zapata Mirabilia Medico-Chirurgica*, Saltem observetur adhuc, ut turundæ nunc sensim breviores applicentur, aut plane omittantur, qvo fibræ apertæ se liberius extendere & serum adhuc exsudans exitum invenire qveat. *Owerkambf. Chirurg. sua p. 310. seq.* hic turundas e linteis carptis & canulas omnes plane rejicit, eò, qvòd ulceris consolidationem impediunt, imò pressura sua calli generationem promoveant.

Thef. XXXVII.

Tandem quoque Diæta non negligenda, sed in ulceribus hisce, æqve ac ullo alio morbo curiose observanda; Si quidem omnia acida, salsa, acria, fermentabilia, viscida & frigida hic semper, & eo ipso die, qvo admittuntur, malum exasperare observantur. Ex eo maxime nocet aër frigidus, observante jam *Hippocr. V. Aphor. 20. & 22.* indeque consulto omnia medicamenta extrinseca calide applicantur, nec crebrius, vel diutius, quam par est, ulcera quæcunqve deteguntur. Ideo quoque maxime his prodest potus calidus Herb: Theæ, Coffe, vel è Lignis. Reliqua per se patent, & propterea hic filum abrumpo, Deoque summo nostro Medico pro concessis viribus gratias æternas decerno.

NOBI-





NOBILISSIME

DN. RESPONDENS  
Fautor & Amice dilecte.

**Q**uas de Ulceribus sinuosis  
& fistulosis erudite elaboratas Theses ex-  
hibes, satis superque testantur, quod a  
teneris jam annis a PATRE Medico-  
Chirurgo peritissimo, Chirurgica scientia instructus  
pluribus aliis longe rectius sapias, & perspicias peri-  
culosissimos miseris ægrotis errores, quos quotidie  
non solum à chirurgis, sed medicis quoque com-  
mitti experimur, quia nescio, quia vana persuasione  
seducti, partem hanc Artis nostræ nobilissimam, à  
qua tamen tanquam capite omnis reliqua Medici-  
na nostra pendet, infra dignitatem suam existi-  
ment, eamque non sine ingenti artis damno & igno-  
minia solis barbitonsoribus exercendam relin-  
quant, aut saltem obiter pertractandam sibi sumant.

D 3,

Alia



Alia sane mens fuit ipsi Hippocrati & reliquis Medicorum Principibus, quibus Artis adeo salutaris sacra sibi solis vindicare, propriisque manibus exercere volupe semper fuit. Age igitur, *Eru- ditissime Dn. Respondens*, vestigiis istis laudatissimis eadem, qua haectenus sivevisti, industria insiste, nec dubita, quin Tua Tuorumque vota explere, imo superare queas; quo nomine etiam Tibi sanitatem felicitatemque perpetuam precari non intermit- tit.

Tui addictissimus

**PRÆSES.**



**Q**ui magno studio Medicis Chirurgica-  
jungis,  
*Præclarum Medicæ Tu Decus Artis eris.*

Amico svavissimo  
gratulab. scripsit

**M. JOH. HÜBNERUS.**  
Uratisl. Silesius,

**Mein**



Mein Freund / du forderst ist ein Zeichen meiner  
Pflicht /

Da deine Fähigkeit die ersten Früchte bricht  
Von dem / was du mit Müß und Schweiß dir zugeleget.  
Denn wer sich so wie du mit klugen Schrifften träget /  
Kommt endlich mit der Zeit aus der gewölkten Nacht /  
Die wie der Schatten uns die Sinnen einsam macht;  
Und läffet statt der vor betrübeten Finsternüssen /  
Nun einen hellen Glanz gelehrter Strahlen schießen.  
Drumb / könn ich dir mein Freund auf dieses enge  
Blatt

Entwerffen / was mein Herz noch vor dich übrig hat:  
So wolt ich ohne schen dir dis zum Ruhme sagen /  
Daß deine Arbeit dir noch werde Früchte tragen;  
Die Früchte / welche nur Gelehrten eigen seyn /  
Und die keinn blasser Neyd mit Geyffer kan bespeyn.  
Erlaube / wenn dich denn ein rother Hut wird ziehren /  
Daß ich dir darß darzu von Herzen gratuliren.

So viel schrieb seinem werthen Herrn Landsmann  
u. werthen Freunde bey glücklich abgelegtem Speci-  
mine Academico desselben verbundenster

Samuel Willich J. U. Stud.

☼  
Clarum opus ingenii prodis & mentis.  
Hygea  
Fertur ovans , spondetqve decus doctrinæ &  
honores.

Applaudit Fautori suo , docto Respon-  
denti , & explicat affectum.

Friedericus Christianus Springer  
Olavia Silesius.

Wer



**W** Er kan wohl iederzeit die hochgelehrten Proben  
Von Ihm/geehrter Freund/ ietzt nach Verdien-  
ste Loben/

Es machet sich Verstand/ wie auch der kluge Mund  
Mit höchster Wunders-Macht auf der Catheder kund.  
Gewiß: Der Eltern Buntsch hat glücklich eingetroffen /  
Das Vaterland kan nun was grosses von Ihm hoffen.  
Der Höchste lasse nur sein rühmliches Studiren  
Zu steter Ehr' und Ruhm mit fernerm Glücke führen.

Mit diesem wenigen wolte seine  
Schuldigkeit ablegen.

**Christoph Simmler** Med. stud.  
Schmiedeberg. Silesius.





01 A 6560

ULB Halle 3  
001 853 198



sb.


1017











Q. D. B. V.  
DE

# ULCERIBUS FISTULOSIS,

*Consensu gratiosi ordinis Medicorum*  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

Et  
SUB PRÆSIDIO  
*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,*  
*ac Experientissimi,*

DN. CHRISTIANI VATERI,  
Philos. & Med. Doct. Ejusdemque Pro-  
fess. Publ. longe Celeberrimi, nec non Physici  
Provincialis summe meriti,

*Domini Patroni & Præceptoris*  
*æternum devenerandi.*

ADD. JANUAR. MDCC.  
*In Auditorio Medico*

Horis svtis  
differet  
A. & R.

BERNHARDUS SCHIEFORDEGHERUS,  
Vratislavia Silesus.

---

VITEMBERGÆ,  
Literis GODERITSCHIANIS

